DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA DE

STERILITATE MULIEBRI,

QUAM

DIVINA ANNUENTE GRATIA,

DECRETO ATQUE CONSENSU ILLUSTRIS AC GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ IN ELECTORALI AC PERANTIQUA HEIDELBERGENSI UNIVERSITATE

PRÆSIDE

Viro Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo Atque Experientissimo,

DN. GEORGIO FRANCO,

Med. Doct. & Prof. Publico Ord.

Fac. Decano & Academico Curioso,


PROMOTOR. FAUTOR. AC HOSPITE ÆTERNUM COLENDO,

Pro Summis in Arte Medica Honoribus ac Privilegiis Doctoralibus rite consequendis,

Publicæ Eruditorum disquisitioni exponit,

Joh. Valentinus Schadius, Homb. Hassus.

Ad diem 28. Octobr. A. cIɔ Iɔc, LXXIII. H. L. Q. C.



HEIDELBERGÆ,

Typis Joh. Christiani VValteri, Acad. Typogr.

9

VIRO
NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO
DN. RUDOLPHO BURCHARDO,
MED. DOCT. AC THEOR. EJUSDEM FACULTATIS PROFESS. MERITISSIMO FAUTORI ATQ; PRÆCEPTORI ÆTERNUM VENERANDO.
NEC NON
VIRO
PRUDENTISSIMO, PIETATE CLARISSIMO
DN. JOH. VALENTINO SCHADIO,
SENATORI URBIS HOMBURGENSIS MERITISSIMO PARENTI OMNI HONORIS FILIALIS CULTU VENERANDO.

NEc Præceptoribus nec Parentibus unquam reddi æquivalens absolutæ veritatis est! Quid ergò Tibi retribuam, Excellentissime Præceptor, pro fidelissimâ, qua me beasti informatione, ubi ad SALUTIS h. e. Medicinæ Sacrarium me perduxisti, sociabus ratione & experientia (neutiquam cæca obedientia) quibus stipatus hactenus (præficiscine) feliciter perrexi: Nec enim audiendi sunt qui eruditionem annis metiuntur; quasi verò annosa quercus erudito præstaret Iuvene. Tibi ergò gratissimum obsequium & æternam despondeo hac inscribtione gratitudinem.

Quid porro Tibi medullitus Venerande Pater offeram, cum omnia quæ possideam sint Tua, per Te vitalem hanc lucem adspexi, per Te à teneris satis providè adolevi, nec solùm ætate sed & Tuis crevi indies beneficiis, & quam maxime ab octennio: Nec desines imposterum esse Pater, esse Promotor, esse Protector. Qui Pater est in Cœlis, qui Doctor est Doctorum Vos omni pietate suspiciendum mihi Par nobilissimum (per Vos enim sum qui sum & existo) servet incolumes, felices, hic & ibi beatos, alteri sero addat canos, alteri diutius servet: Servet Vos DEUS, VOS & VESTROS.

Vester omni pietate devotissimus

Joh. Valentinus Schadius.

PROOEMIUM.



Ullibi majores, opinor, Medicis ſunt tenebræ & ceſpitationes ac circa hominis generationem partumque; adeo ut & ipſa *Sacra α pagina* ejus obſcuritates innuat. Non defuere qui crederent feminam ſufficere β ſolam ad generationem excluſo mare; alii utrumq; concurrere, ſed officia utriusque eſſe valde dubia. Tam quoad animam (quam alii γ per transmigrationem, alii δ per traducem; alii ε per creationem ſtatuunt) quam quoad corpus; hoc enim volunt fieri aliqui per ζ comiſtionem ſeminis paterni materniq;, cui tandem & ſanguis menſtruus accedat: alii idem ſenſere ſolo η negato ſemine muliebri: Nonnulli θ corporalem & univerſam ſeminis paterni molem non; bene vero ex eodem contagium quoddam ſpirituoſum concurrere arbitrantur. Alii denique hoc contagium etiam concedunt; ita tamen ut ex teſtibus muliebribus non liquorem, ſed Ovum quoddam fetus primordium accedere putent & impraegnari, quod ſit piſi viridis magnitudine, intra iſtam latitudinem, quæ piſorum determinat quantitatem varians: intus lateat humor, qui ſicut aliorum ovorum albumen & vitellus dum coquitur, indureſcat; ſapore præditum peregrino & ingrato, ut

N. α Ecc. *c. xi.* ♆.139. β *ſicuti 1637. nobilis femina in Delphinatu, quæ poſt quatuor annorum mariti abſentiam filium ſolius imaginationis viribus concepit per ſententiam Parlamenti Gratianopolitani abſolvebatur; referente* C.T. Lüncker. *Diſp. Inaug. de cauſ. morb. toto gener. p. n. additam*: I. *Gieſſæ* 1651. *&* *fuſe* Th. Barth. *cent. vi. hiſt. 61. ubi pag. 302. refert* P. Sanchium *&* D. Delord. *Monſp. Prof. pro fabula habuiſſe, à nebulonibus quæſtus gratia conficta*, γ *hinc illa* μέτεμψύχωσις Pythagoræ; *vid.* Diog. Laert. *&* Hor. *epod. xv. atquè ad h. l.* Bond. *hanc hodiè credunt Indi, teſte* Mandelsloe *in Ep. ad Olear. f. 10.* δ Senn. Sperl. *& alii hodieq; adhuc Abyſſ. teſte* Eduard. Brerevood *in ſcrutin: Rel. c. xiv. pag. 109.* ε Wend. *contempl. phyſ. S. 3. c. 10. p. 332.* Joh. Gallego de la Serna *tr. de princip. generationis l. 3.* Kyper, *Diſp. de gener. hominis* §. 3. P. Petitus *de ignis & luc. natura Exerc. 24. pag. 106.* Deuſing. Eraſtus, Mazzotta *& præcipuè* Zeiſold. ζ Hipp. *l.* περὶ γονῆς *f. 13. &* π. γυναικείης φύσεως *f. 132.* Petrej. *q. 3. ad diſſert. Harm. 22. p. 382.* Senn. Sebiz. *&c.* η Ariſtot. *l. G. A. 19.* Harv. *exerc. 65. & 68 Fallop. C Hofm. Rolf. &c.* θ Harv. *de conceptione p. 379. 383. 388. & Exerc. 31. 32. ac 66.* Deuſing. *Cl.* D. Franc, *Satyr. Med.* §. I.

primus ejusdem inventor Cl. Kerckringius ι scribit Pariter de ætate utriusque parentis non leves κ sunt controversiæ, ubi mares citius λ 7. μ 8. ν 9. ξ 10. ο 11. π 12. vel tardius ρ 70. σ 80. τ 90. υ 100. φ 104. annis imprægnantes; femellæ pariter præmaturè χ 5. ψ 6. ω 7. a 8. b 9. sive sero c 60. d 70. &c. imprægnatæ leguntur. Nec minores circa partum sunt difficultates, tam quoad terminum, quem alii e 5. f 6. g 7. h 8. vel etiam i 11. k 13. l 14. m 15. mensibus aut n 2. o 3. p 4. anno contingere observarunt; quam quoad vices (unde fecundorum tam q. virorum quam v. feminarũ exempla) & fetuum numerum siquidem sex. 7. 9. 11. 12. 15. 22. 36. 70. 72. 150. 365. & 1514 editos s. historiæ (nescio semper veræ,) memorant, ut in hoc labyrintho Ariadnæo prudentiæ circumspectioris opus sit filo. Ob affinitatem vero materiæ post privata examina publico hic sistere volui difficillimam de STERILITATE mulierum materiam, quæ eo nobilior, quo abjectiores, sibi aliisque videntur steriles mulierculæ. Tu verò PATER OMNIUM Spiritus Tui gratiâ me fove & imprægna ut hæc, quæ agam, in Tui gloriam proximiq; vergant emolumentum!

ι *Anthropog. Ichnograph. c. 1. conf.* Garmann. *dissertatione Homo ex Ovo.* κ *vid.* Zachiam. *in quæst. Med. leg. sect. 6. q. 5. §. 57.* λ Phlegon. *de mirabil. ap.* Schenck. *l. 4.* μ ut Haran Lothum, Tiraquell. *de LL. conn. l. 6.* ν Lamb. Danæus *l. 2. Ethic. c. 14* ξ Cœl. Rhod. *L. A. l. 14. c. 8.* ο Salomon Roboam. ceu dicit Hostiens. JCtus. *ap.* Marc. Don. *l. 4. c. 14. quæ tamen* π *duodecimo factum vult* P. Greg. Tholos. *juris univers. l. 9. c. 7.* ρ Bernhard. Scard. *hist. l. 2. claß 9.* σ Plin. *l. 7. c. 14.* τ Alexand. Bened. *l. 26. c. 12.* υ Savanoroll. *tr. 6. c. 22. rubr. 23.* Lemn. *l. 4. c. 24. Olear.* Persischer Reys-Beschreibung *part. 3. f. 472.* φ Zeill. *Ep. 129.* χ Plin. *lib. 7. c. 2.* ψ Mandelsloe *l. a. f. 11.* ω. L. Domit Bruson. *l. 3. c. 2.* a Foroliviens. *ap.* Schenck. b Massæus *ap.* Wolf. *cent. 14. memorab. fol. 620.* c Sabellic. *l. 3. enn. 6.* d Cordæus *Comm. ad l.* Hipp. *de morb. mulier.* e Vales. *phil. sacra. c. 18.* f Frid. Möller. *tr. pecul. de partu 73. dierum* g *Arist. VII. H. A. 4.* h Gr. Horstius *de caussis similitudinis* i Thom. Barth. *c. 1. hist. 12.* k Massurius. *ap.* Plin. *l. 7. c. 5.* l Arist. *VII. H. A. 5.* m Schenck. & Mœb. *Instit. p. 12.* n *ex Aventin. l. v.* Schenck. o Th. Barth. *c. 1. hist. 1.* p Mercur. *cons. 85.* q *ita* Luz Rex in Gilolo *ex multis mulieribus 600 liberos genuit.* Hieron. Welsch *in præf.* Reys-Beschreibung r sic Joh. Pancica *Agrigentina tricies circiter enixa tres supra septuaginta liberos edidit, teste* Facello *de rebus Siculis ap.* Wolf. *cent. 6. memorab. f. 293.* s. *vid.* C. Schott. *phys. Curios. l. 3. c. 29. ubi fusius &* Schenck. *l. 4.*

CAP. PRIMUM.

Ονοματολογίαν rimatur.



Ucleum qui vult esse, frangat corticem. Antea ergo quam rem ipsam consideremus; tollamus corticem; h.e. nomen ejus enucleabimus. Quoad Etymologiam videtur esse à Græco στεῖρος vel στεῖρα sterilis; nam *Philox. Gloss. ait* sterilis, στεῖρα, ἄκαρπος, ἄγονος; nempe à στεῖρα fuit, ὑποκοριστικῶς, sterula, sterila, & sterilis. Στεῖρα a. ex στερέω, privo, orbo, possis & ἀμέσως à στερέω deducere inquit a. Vossius. Et *a* στερέω qq. deducunt *b Becmann.* ac *c Martinius*; qui posterior etiam facit στερεὸν solidum ac siccum & durum: tale enim solum est ἄγονον. Quidam à στέριφος id est sterilis debilis. Aliqui à στέρομαι, amitto, careo. Nec desunt qui opinantur posse deduci à Stera, voce barbara, quæ pro Græca ὑστέρα accipiebatur; teste *d* Vossio. Qui in Etymolog. l. c. tandem ita infit: Et quid si Latini prisci *stereo* dixerint, unde esset *sterui*, *steritum*; à quo *sterilis*, ut ab habitum habilis? Placet quæ à στερέω. Quoad Συνωνυμίαν vocatur *e Hipp. f Platoni ac g Plutarch.* Ἀφορία: *h Aristotel. i Plater. & Sennert.* ἀτεκνία hinc *k Hesiodo.* ἄτεκνος ἔριθος Ancilla prole carens: *Galen. l Mercur.* ατοκία; it. *Mercur.* ibid ἀτοκεῖα Inde quoque ἀτόκιον medicamen; quod sterilitatem inducit apud *m Dioscor. Moschioni, Platero ac Senn.* ἀγονία ab ἄγονος quod est sterilis, hinc *n Theoph.* ἄγονον ὕδωρ &c. *Nazianzeno & o H. Stephano*, ἀγεννησια *p Moschioni* στέρησις, στείρωσις; *q Mercur.* στήρωσις. Latinis *Impotentia concipiendi & generandi*; *Infecunditas*, *irritus complexus*, *Vanus concubitus*, Germ. Unfruchtbarkeit. Denique quoad ὁμωνυμίαν latissime competit etiam; hortis & agris

a Etymol. f. 491.
b p.m. 730.
c lex. phil. lit. S.
d l. 3. de vit. serm. c. 50.
e lib. de nat. mul.
f de LL. l. 6
g de Soc. Dæm. & in Lycurg.
h 2. polit.
i prax. tr. 1. c. 19.
k in ἔργ. ἠ ἡμ v 600.
l l. 1. de morb. mul c. 2.
m l. 3. c. 146. & 151. ac l. 4. c. 20 & l. 2.
n lib. 2
o thes. ling Gr. f. 840.
p c. 142.
q l. c.

r l.2. c.16.
s de pass. mul. c.11.
t l.3. mul. aff. c.4.
v c. 42.
u l. 2.
x Etymol. f. 491.

agris atque plantis; late viro & feminæ promiscue, r Akakia *s. Erotis.* Strictè solis feminis; sed & iterum hic diversitas, ita enim vocantur quæ vel raro *t Mercat.* e. g. semel tantum in vita *P. Zach. l.3. q.7. t.1. n.5.* vel solum mares aut femellas tantū pariunt, *Plat. l. d.* vel quæ abortum faciunt *v Moschio & Cleop.* vel *strictißime*; & quod hujus loci; quæ nunquam concipit aut parit. Obiter quoq; huc refero quod olim dicebatur Sterilus, a, um, ceu ex *u Lucret.* & Festo probat *x Voßius* & hæc de Nomine.

CAP. II.

Πραγματολογίαν seu Definitionem venatur.

a l.4. Pract. c.5.
b Prax. l.4. s.2. p.4. c.2
c Instit. med. l.3. p. m. 249.

CUm definitio sit illa oratio quæ rei naturam explicet per genus proximum & differentiam, ad eandem & nos conferemus. Capivaccio *a* est functio abolita uteri, dependens à frustratione conceptricis: *Sennerto b Impotentia quædam uteri, ob quam is semen virile* vel non attrahit, vel non retinet vel non convenienter fovet & in actum deducit. *Iachæo c Impotentia concipiendi* mulieris justæ ætatis & utentis viro. Verum, quod Pace Tantorum Doctorum dicam, partim hæ definitiones sunt mancæ ac nimis angustæ; partim etiam talia proponunt, quæ non ab omnibus creduntur; Liceat ergo magna illa venia, qua cuique licet in veritatem inquirere, mihi hanc proponere: *Sterilitas muliebris est Impotentia concipiendi atq; generandi in muliere, quæ ætate modoque justis viro legitime se habente utitur, à partium genitalium dispositione p.n.* Definitur nobis per *Impotentiam*, ut notemus esse Symptoma actionis læsæ hinc *Helmont. tr.* Retenta vocat defectum p. n. & quidem abolitæ facultatis naturalis seu vegetativæ uti loquitur *d Rolfincius.* Addidimus *Concipiendi*, hocq; proprie est sterilitas; rursus: *atque generandi*: quamvis hæc vox generaliter totum opus fetum producendi tam in mare quam in femina notet, tamen h. l. specialiter sumo pro gestatione ac tandem suo tempore exclusione fetus: Licet enim aliqua primo quidem recte concipiat, dein vero ob vitium uteri conceptum non retineat, vel depravet; ita ut justo tempore fetum non pariat, pro *sterili* mihi habetur *e*: *In muliere*, ita distinguo inter virilem sterilitatem, quæ potius *Impotentia* aliis audit: *quæ ætate modoque justis*, ita excludo puellas, infantes

d Method. Cons. l. xi. Cons. 2. p. 884.
e ita qq. Hipp. ac Valles. in 2. Epid. s.3 ap. Zach. l.3. t.1. q.7. n.8.

vetu-

vetulasque quæ utut non concipiant nec generent, tamen ob hoc steriles non dicuntur, quia ad hunc actum ætas certa requiritur, nec præjudicant rariora illa exempla quæ in proœmio allegavi; quod enim raro fit, non facit regulam. *Modus* quoque requiritur justus; ita excludo omnem nequitiam, petulantiam & alia, quæ alias conceptum reddunt irritum. *Viro*; ita enim viduæ non sunt steriles; nec innubtæ quia nimirum viro non utuntur: *Legitime* se habente, ita excludimus frigidos & maleficiatos, quique præter nomen nihil Virile hic præstant & quibus

—— ubi est ad prælia ventum

mentula ceu lorum in aqua solvitur. *A partium genitalium*, tam externarum nempe, labiorum, alarum, clithoridis, caruncularum myrtiformium; hymenis: quam internarum; uteri, testium, ovarii ac reliquarum *dispositione p.n.* h.e. variis affectibus p.n. quos inferius fusius prosequemur.

CAP. III.

SUBJECTUM INDAGAT.

Τὸ ὑποκείμενον μόριον ἢ πρῶτον δεκτικὸν sunt partes quæ alias naturaliter ad conceptionem faciunt & generationem, nempe *uterus* cum vicinis ac conjunctis. Quamvis quidem alii allegent aliquando factum esse; ut femina per os evomeret fetum digiti longitudine; à nefando pessimi mariti coitu per os; qui uxoris simplicitati ita illudebat ceu historia est apud *a Salmuthum*: cujus veritatem impugnant quidem *Ludovicus b Kepplerus & c Riemschneiderus*: admittit tamen *Bartholinus d*; quia uterus ad generationem præter locum & calorem nihil contribuat, sicut nec ovi testa ad pulli conformationem; Alii, ut Laudatus *e Bartholinus*, referant canem & felem catulos suos per os peperisse ac exspirasse: Alii ut *f Maroldus* abortum vomitu rejectum scribant: Alii fetum in abdomi-

N. a *cent.3.obs.94.* b *in diss. de Basilisco.* c *Epist. ad Laur. Strauss. de fetu Mussipontano.* d *Cent.3.Epist. 8. p.34. & Cent. V. histor. 98. & de insolitis partus humani viis c.11.* e *l.a.* f *Disp. Inaug. Altdorf. 1669. & in Ephem. curios. Germ. ann. 1. obs. 109.*

domine natum clamitent ex.gr. famosum istum *Mußipontanum* cap. g *Straußium*: quamvis recte negent h *Guido Patin.* & i *Olaus Borrachius.* Alii cum k *Paracelso* l *Borello* & m *Hannemanno* statuant posse ex semine virili phiolæ incluso per calorem & alia verum hominem generari: quod suo merito pernegant & damnant n *Sennert.* o *Rolfinc.* p *Spizel.* & q *Garmannus*, ut ut ænigmatice explicare allaboret r *Burrhus.* Alii s c. *Poëtis*; quorum ingeniosæ licentiæ hoc est tribuendum, suaviter fabulentur è *Iovis cerebro natam Minervam*: Alii denique in uteri t Tubis fetum & u molam asserant conceptum: Tamen cum natura ordinarie huic operi uterum destinaverit, circa cujus apparatum & functionem conceptum ullum frustra expectaveris monente summo vv *Harvejo* hinc cum contrariorum eadem est ratio, statuimus uterum esse partem affectam cum x *Rolfinc.* y *Frideric.* z *Funccio* & aliis; ita ut non excludamus testes & Tubas Fallopianas partesque genitales hanc actionem juvantes, quæ cum variè possint nocere: infra *tit. de causs.* naturalibus largius proponemus.

g *tr. pecul. resolutio casus Mußipont. fetus ext. uterum in abdomine retenti c. annexis judiciis celeberrimorum virorum. Francof.* 1663. h *Epist. ap. Th. Barth. c.3. ep. 83.* i *ap. Eund. Barth. Cent. 4. Epist. 51.* k *l.1. de gener. rer. natur. f. 259. & ex Croll. fusè refert Mylius l.1. Bas. chim. c.11. p.155. seq.* l *cent. 1. obs. 9.* m *sub finem Prodromi lex. med. class. 4. p.585. seq.* n *de cons. ac diss. c. 4. p.m. 84.* o *Chim. in art. form. redact. l.6. c.6.* p *radice Atheismi p.56.* q *diss. homo ex ovo §. 41. p. 21. seq.* r *Epist. de cereb. ad Th. Barth. Hafn. 1669.* s *vid. Lucian. in Dial. & Nat. Comit. in Mytholog.* t *Riolanus l.2. Anthropograph. c.34. & Tilling. tr. pecul. de Tub. uteri deque fetu nuper in Gallia extra uteri cavitatem in tuba concepto Rinthelii 1670. Elsholtz & Garmann. l. a.* u *Marquard. in Emp. Pract. tit. de mola matric. p. 390.* vv *de conceptione p.m. 378.* x *l. XI. cons. 2. p. 884.* y *Disp. pro loco de Sterilitate muliebri, cap. IV. Ienæ 1664.* z *Disp. Inaug. de sterilitate muliebri θ. 6. Basileæ 1615.*

CAP. IV.

Caussam Proximam sistit.

CVm nihil sine caussa fiat, meritò & hic in tædiosissimi affectus caussam & quidem proximam inquiramus. Hæc varia assignatur ab Auctoribus. Arabes quidam ad occultam proprietatem confugiunt, ut Abubetr. Rhasis *a* qui dicit fieri per proprietatem, quæ in spermate, sicuti est dispositio arboris non fructificæ. Stoici *b* principalem sterilitatis caussam in discordes coeuntium vires qualitatesque rejiciunt. Dein ferè consentit quoque Abualijbntsina *c* juxta verò Capivaccium: & Rolf. & *d* Friderici est conceptrix uteri facultas frustrata, pro caussa immediata agnoscenda: modus verò frustrationis alius est secundum Veteres; alius secundum Recentiores; utrumque explicat Rolf. l. a. περὶ φιλοσόφου ἱστορίας, qui inter *Galeni* Nothos *f Helmonth.*

Non pro caussa agnoscit calorem, non frigus, non humiditatem, non menstrui defectum, nec aliud, post multa ita insiste nti positivo, quod dicitur sterilitas unicam adæquatam & coævam causam in Sacris descriptam invenio his verbis: Deus uterum Saræ aperuit. Etenim est donum Dei, in naturam delatum: quo pergamenum uteri, suis plicis clausum, aperitur, & dilatatur congruo congressus momento. Blas est inquam magneticum, trahens: per quod metus vacui istam apertionem sequitur attractus seminum, & adæquatè repletio apertarum rugarum. Apertio nempe præfata, suctum facit metu vacui. Qui si indebito momento fiat: jam frustra fit. Uterus enim virginis, vix duorum digitorum amplitudinem ostendit: quippe qui per minimas plicas in se rugatur. Sui autem apertio, non consistit in hominis arbitrio, ut neque in titillatione aut luxu: at prorsus in divino beneplacito: unde dotes in naturam quoque dispersæ. Aperiendi & claudendi: adeo ut simplicia quædam hanc vim obtinuerint. Nec sat est uterum stato aperiri momento, nisi adveniens hospes loco gratus sit. Nam si labe sit inquinatus, de cœtero irrita cum illo *viro generandi est spes: quia indignatus uterus abhorrescentiæ* furorem *vix placabilem concipit.*

Nos posuimus in definitione partium genitalium dispositionem p.n. quam sequent. cap. plenius illustrabimus.

*N.*a *divis. ad* Reg. Mansor. *c.* 95. b teste *Auct. lib.* c *l.* 3. *fen.* 21. *tr.* 1. *c.* 8. d *l.* 4. Pract. *c.* 5. e *l. a. l. d. c. v.* f *Helmont. Retent. p.* 328. 329.

CAP. V.

Caussis de Naturalibus.

IMmediatam caussam strenue movent & promovent mediatæ, quas inter chorum ducunt *naturales*, & ex iis præcipuè *Temperamentum* tam totius quam partium, maxime verò principalium ac vasorum quæ huic operi inserviunt : Calidum ergo nimis ut & nimis frigidum, in utroque accusat sexu *a Fernelius.* Negat vero *Helmont.* tr. Retenta ; qui quidem potest admitti ; sed prior sententia se tuetur distinguendo inter caussam proximam & remotam : quare non obstant exempla in contrarium allegata calidiores aliquando mulieres concepisse ; hinc calorem non pro caussa reputandum ; quia alia est causa adjuvans alia absolute efficiens. Maxime verò accusantur Obesæ mulieres sterilitatis ab *b Hipp.* causa est, quia pinguedo nimia uterum claudat : faciatque nimis angustum, imo omentum præcipuè eundem comprimat. Huicque consentit *c Laurembergius,* verum *d Aristoteli*, illa videtur subesse ratio, quia nimirum in his omnis materia, quæ alias ceu sanguis maternus, ad uterum fertur & ad conceptum formandum requiritur in pinguedinem transmutatur. Cui adstipulatur *e Aegineta* atque *f Senn.* sed hoc non solet esse perpetuum, præcipue in iis, quæ à primo ortu pingues & crassæ evaserunt, teste *g Mercat. h Senn.* Imo experientia tot obesas nobis sistit ut de iis non plane desperemus ; *quin Calidißimo voto divinam iis devotißime apprecemur fecunditatem atque benedictionem.* Quod vero quoque contingat causa est alimenti nimia absumtio in partes, caloris dispersio lassitudo &c. E contrario quoque *Macilentæ* sæpius sunt steriles, adtestante *i Hippoc. k Ibn Tsina* arbitratur hoc fieri, quod uterus in hisce semper dehiscat ; vel quod sit tenuis, caloreque copiosiore orbatus, cui subscribit *l Mercatus.*

(Et

N. a *l. 6. Bathol. c. 17.* b *de superfetat. ix. 4. & 5. aph. 46. l. de iis qui utero non gerunt xv. 11. 12. l. de A. A. & L. t.* 101. *& de nat. mulier. xix. 4. & l. 2. prorohet.* c *coll. anat.* Exerc. *iv. θ.* 12. d *G. A. 7. & 2. p. A. 5.* e *l. 3. c. 7.* f *prax. l. 4. s. 2. p. 4. c. 2.* g *d. A. A. I.* h *l. a.* i *l. de superfed. & l. de sterilitate.* k *l. 3. fen 21. tr. 1. c. 8.* l *l. 1. aff. mul. c. 2.*

Et certæ macilentæ difficilius concipiunt, difficilius quoque utero gerunt, cum partes genitales conceptumque facile externæ violentæ injuriæ: calorque bilis quæ plerumque hic prædominatur, fetus augmentum impediat: ut taceam consentientem experientiam. Quod ad *Staturam* corporis, major officit, quod seminis (ita non ex mea, sed *m* Hucheri loquor sententiâ) mensiumque materia in ejus abeat alimentum, sintque lumbi promissi & debiliores. Minor vero *statura* pariter absolutè & in se considerata, quia venter est adstrictior, coxarumque ossa plurimum conjuncta; damnum inferre apta est, teste *n Funccio* Ita utrobique

—Medio tutissimus ibis.

Observavit tamen non semel *Excellentißimus Præses* Hospes æternum venerandus in Saxonia & Argentorati non solum parvas, sed sæpe valde gibbosas fuisse fæcundas; felicesque matres. Huc denique referenda venit *Aetas*, quæ ad tenorem definitionis nostræ debet esse justa: quæ vero hæc sit, lippis ac tonsoribus est nota. Prima ergo ab anno 17. ad 24. est aptissima; Virgines vero adultiores ut plurimum difficulter concipiunt & sæpius sterilescunt; quia uterus in juventutis vigore, ubi sanguine abundabat benigniore ad concipiendum & pariendum non fuit adsuefactus, sed induruit crassiorq; factus est; hinc non mirum si difficulter redigatur ad officium, vid. *o Sen.* Maximè verò ex mente recentissimorum *testium* muliebrium constitutio opus hoc sufflaminare potest; non quod ibi semen virile vel æquale vel non admodum dissimile asservetur excernaturq; in quibusdam præcipuè Petulcis; ceu cum *Hipp. Galen.* & sequacibus plurimi credunt; quin potius cum *Aristotele Rolfinc.* & aliis tale semen negatur: verum testes illi, utpote virilibus majores sed flaccidiores alii destinantur usui ex accurata *Kerckringii* observatione; nimirum ut sedes sint ovarii humani; contineantque ova ista; ex quibus semine virili fecundatis & ad uterum per *Fallopianas Tubas* prolectis fit fetus. In his ergo si vitium aliquod contingat potissima & prima quærenda erit *sterilitatis* caussa; ceu ad hanc mentem erudite hoc persequitur *Garmannus* in sæpius laudatâ dissertatione de ovo humano § 38. p. m. 18. quin ita scribit: Sterilitatis pariter in mulieribus scrutinium juxta hanc assertionem forsan non infeliciter ce-

m *l. 2.* n *l. a. θ. 18.* o *prax. l. 4. p. 2. l. 4. c. 2. & Frid. de sterilitate c. 7.*

det. Ψαθυροὶ facti à natura (*Galen. l. 14. de U. P. c. 10.*) & ex mollibus vesiculis conflati (*Riolan. Enchir. Anat. Pathol. l. 2. c. 3.*) testes muliebres, ut ovorum generationi faveret hæc structura, quod si carnosiores sint & compactiores, aut pinguedine nimia comprimantur, sufflaminabitur hoc negotium. Viarum per quas semen masculinum (ut supra diximus §. 33.) sursum fertur, ovaque in uterum descendere solent, obstructio, sacro huic operi multam injiciat remoram. Ovorum lymphatica fatuitas, uterique luxurians humiditas, & fecunditatem, ac fecundorum ovorum in utero moram & radicationem prohibet. Si carnosioribus pelliculis cingantur, nec seminis masculi mistura celebrari, aut secundum *Harvejum* contagium per quandam quasi irradiationem iisdem communicari poterit, Putrescunt igitur in testibus, aut in uterum delata in molas degenerant carnosas, aut in sensibili abortu egeruntur, corrumpunturque. Nec hic excluditur reliquarum partium δυσκρασία. Et ita valedicimus causis naturalibus.

C A P. V I.

Nonnaturales caussas delibat.

PRimas hic communi Scholarum Medicarum voto obtinet *Aer*; qui si sit frigidus atque hyemalis; sterilitati patrocinatur juxta *Aristot.* 4. probl. ex *Hesiod.* sent. Pariter si austrinus; *Hipp.* d. A. A. L. tr. 18. *Aristot.* VII. Polit. 16. Vel si peculiari malignitate inquinetur; qualis forte ille fuerit, quem *Clemens Alexandrinus l. 9. stromat.* ait aliquando Agrigenti exstitisse; cujus tristioris auræ flatus ejus loci feminas, afflans maxime steriles reddiderit, quæ postea recluso venti aditu fecunditatem pristinam iterum recuperarint. Ad classem hanc referendus etiam est aliquibus nimis sancte an superstitiose dicam creditus astrorum influxus item variæ constellationes &c. uti *Origan. Introd. Ephem p. 3. m. 2. c. 10. & Rod. à Castro l. 3. de morb. mulier. c. 3.* hæc enim tanquam vana cum *Excellentissimo Præside Synops. Instit. Med. §. 23. p. 26.* rejicimus; ut ut non negemus Solem & hominem generare hominem, juxta *Aristotelem & Fernel. l. 1. de abd. rer. causs. c. 7.* sequuntur *Alimenta*; hic cibi crudi, flatulenti, viscidi acidique

cul-

culpantur ab *Ibn-Ifina l.3. fen. 25. tr.1. c.* 8. ut & omnes nimis calidi nimisque frigidi ; aromatiſati nimis aliove modo peccantes ; quia ſimilem introducere intemperiem aliaque facillime valent. Maxime verò potus liberalior nocet, tam æquæ frigidæ ; *Ariſt.l.3. & 4.G. A. it.* Paluſtris, putrida *Frid. c.7.* quam vini, cujus temulentia plurimas facit ſteriles, ceu quotidiana Eheu teſtatur experientia ; Ebrietasque ceu in viris vitioſa, ita in mulieribus maxime eſto deteſtabilis ; quia eſt lerna plurimorum malorum, eandemque inter noſtri affectus cauſſas locat *Hipp. l. de A. A. L. atque Gal. L.XI. de U.P. c.10.* Cauſam ratione aquæ potus, facit *Ariſt.3. probl. 4.* quia corpus præhumidum fit & omnium partium vigor naturalis infringitur : ratione vero vini hanc damus ; quia illud nimium calefacit ; inflammat ; exſiccat ſitimque auget ; ut velut Tantalus inter medium vinum vinum optet. In ſpecie mirabili vi quâdam quæ *vinum Trazenium* biberint ſterileſcant ceu ſcribit *L. Domit. Bruſon. l. 3. memorab. c.2. p. 291.* Proque cauſa forte Coffi vel Cahvvæ potus poterit allegari, eum enim Venerem extinguere ſcribit Olear. Perſiſche Reyß-Beſchr. *l.5. c.17. Conf. Mandelsloe l.1.* Reyß-Beſchr. *c.11. & doctiß. diſſert. de potu Coffi Cl. Strauß.* Ob affinitatem huc repono quoque medicamenta ; præcipue illa, quæ ſupra dixi ἀτόκια. Item φθόρια ſive ἐκβόλια ; h. eſt quæ fetum ejiciunt abortionis pocula ; & quævis fortiora emmenagoga : Dantur enim quædam quæ per ἄῤῥητον virtutem ſterilitatem inducunt, quorum tamen fides ſit penes Auctores ; ex. g. Cor mulæ geſtatum ſeu potum ; *Ioh. Anglico* cap. de Sterilitate ; Vulva capræ ſ. mulæ, *Senn.* Smaragdus Sapphirusque hora concubitus geſtatus vel guſtatus *Erotu. c.11. & Ioh. Angl.* Rubigo ferri, *Dioſcorid.* Ruta *Ruell. l. 3. de nat. ſtirp. c 37.* Menthæ crebrior uſus, *Hipp. l.2.* de diæta *Ariſt. 2. probl.* coagulum leporinum poſt triduum à concubitu potum, *Dioſc. l.2. c.18.* Camphora *Senn. & Corbei. Sebitz. Cor. 3. ad Diſp. ſextam. de ſimpl. med. facult.* Acetum *Senn.* Cor cervi comeſtum *Ioh. Angl.* Idem ſi mulier ſuper ſanguine menſtruo alterius ambulet, vel eo ſe inungat ; it : vel ſi ſcolopendr. ſuſpendatur ſuper lectum ejus ; *Id.* Item medicamenta ſplenetica eandem inferant, teſte *Aetio 4. tetrab. ſerm. 4. c. 17.* Imo ex Recentioribus obſervarunt ab exſciſſo liene animalia facta eſſe ſterilia &c. *Motus* præcipuè nimius maxime huic operi infert damnum ; hinc

Nicolaus Rocheus c.21. de morb. mul. statuit saltum à primis septem diebus perimere semen & ejicere, probatque exemplo Psaltriæ apud *Hipp. l. de nat. puer.* Scythicas feminas ut plurimum infrugiferas ob equitationem crebriorem pronunciavit *Hipp.* Et ob nimiam onerum impositionem atque laborum gravitatem Barbarorum mulieres facile sterilescere scribsit *Aristot. in Oecon*: Nec inepte huc ad motum referimus *Choreas*, quæ sæpe defraudant matres pignoribus suis, clamores & vociferationes ingentes; tussim frequentem, nimiasque sternutationes vid. *Rod. à Cast. l. 3. de morb. mul. c. 2.* Ex obposito, iterum quies ac sedentaria vita calidum nativum subprimunt, humorumque crassiorum faciunt congestionem. *Rolf. l. xi. cons. 2. Frid. l. a. c. 7.* Nec excludenda sunt animi pathemata, Ira nim. tristitia, timor, odium, lætitia, amor, *Senn. prax. l. 4. p. 2. Funcc. Disp. Inaug.* de Sterilitate Th. 19. Pariter *somnus*, si sit justo longior: injustovè tempore admissus; cruditates auget & ita nocet *Rolf. & Frid. l. a.* sicut & *vigiliæ* nimiæ quæ spiritus dissipant *Frid. l. d.* Maxime verò *Excreta* & *Retenta* se præbent negotiosa ex. gr. menses subpressi, ita ut vel plane non vel parce fluant, *Hipp. l. 1. de morb. mul. tr. 26. & π. ἀφόρων.* Obiter hic disquiritur an & illæ quibus non profluxerunt menses possint concipere? Solemne quidem est muliercularum proverbium: Wann der Baum nicht blüht / so kan er keine Früchte tragen / vid. *Hæf. in Hercul. med. l. 7. c. 1.* Verum non esse veriverbium evincunt exempla in contrarium; quæ allegant *Gvainer. de ægrit. matr. c. 2. Scholiast. Holl. c. 57.* de arte curandi, *Joubert.* de errore popul. *l. 2. Marcell. Donat. l. 4. c. 23. Bertin. l. 4. c. 2. Hercul. Saxon.* in Praxi *Fabr. Hild. c. v. obs. 41. Piens.* de Febribus in specie c. 8. p. 218. & plurimi alii. Mensiumque defectum non esse caussam, probat *Helmont. tr. Retent.* qui videatur. Rursus menses nimii etiam sterilitatem introducere possunt, ubi pereunte sanguine pereunt vires; *Hipp. π. ἀφόρων*; parique ratione nocet V. S. vel frequentior vel nimia: an vero illarum venarum sectio quæ pone aures peculiariter eandem promoveat ceu voluit *Hipp. l. d. A. A. L. f. 76.* meritò dubitat *Frid. r. c. 7.* *ῥοῦς λευκός* sterilitatis Auctor est, *Hipp. l. de nat. mul. & l. 2. de morb. mul.* Fonticulus in occipitio & brachii diu apertus plurimumque fundens notatur à *Mercato l. 3. aff. mul. c. 5.* Coitus quoque frequens nimium nocet, quia uteri orificium non recte clauditur. *Valleriol. l. 2. locc. com. c. 3.* Imo videmus prostibula

ista

ista meritoria ut plurimum esse sterilia; non ceu alii voluere, quod semina commisceantur, alterumque ab altero impediatur, sed quia uteri orificium interius nimium laxatur, hinc & eadem pars nimium adtrita; *Corbej. Gynæc. l. 2. c. 2. p. 170.* E contrario coitus rarior itidem nocet, quia os uteri nimis strictum evadat, ut non possit semen nisi magno labore retrotrahi scribente *Rhase.*

CAP. VII.

Caussas Præternaturales exhibet.

PRæternaturales, hercle, causæ sunt, quibus maximam; nisi omnem, affectus noster debet originem: aliâs fusiore debebam prosequi stylo, sed ob varias caussas mihi tempero & ita primoribus saltim degusto. Huc ergo refero uteri ulcera, Abscessus *Frid. c. 7.* Matricis Intemperiem humidam *Rolf. diß. chymic. vi. c. 5.* Frigidam; calidam atque siccam. Uterum lævum *Heurn. l. v. Instit. c. 4.* durum *Hipp. l. 2.* prorrhet; Uteri prolabsum *Hipp. π ἀφόρων* Cicatrices *Ibid. t. 5. & l. de morb. mul. tr. 26. & 66.* quamvis qq. contrarium fuerit observatum, præcipuè Parisiis ubi sectionem cæsaream mulier aliquoties fuerit experta. Uteri orificium contractum; distortum, *Hipp. 2. prorrhet.* Cacochymiam totius *Rolf. l. xi. consf. 2.* Denique incantationes *Huch. l. 4. de sterilit. Rod. à Castro l. 3. de mul. mulier. c. 6. Senn. prax. l. 4. p. 2. Conf. Disp. Inaugural. de Ligatione* vom Nestel-knüpffen/ ante annum hic habitam: exempla habent *Delrio, Jordan. Hildebrand. Bodinus &c.* Vltimo pœnæ loco quoque à Deo imponitur, Eaque ad manifestas referri nequit caussas, vid. *Bierling. ann. 2. Ephemer. cur. Germ. l. c. & Corbej. l. 2. Gynæc. c. 2. p. 179. Helm. l. a.*

CAP. VIII.

De Differentiis est Sollicitum.

VAriæ possent hic tam ratione generis quam subjecti, caussarum, &c. allegari: sed ne simus nimii; dicamus aliam esse à naturalibus, aliam ab aliis caussis tandem accedentibus; aliam hæreditariam

riam, ita ut in certâ familiâ ad aliquod tempus quælibet paullatim inter steriles sit, aliquando non: aliam semel parere; aliam parere nunquam, aliam item sterilem esse ad quosvis viros, aliam ad certos; & si quæ aliæ poterunt allegari differentiæ; *Conf. Senn. l. 4. prax. p. 2. f. 6. c. 2.* atque *Frideric. c. 8.*

CAP. IX.

DIAGNOSIN TRACTAT.

UT ut manifestè pateat sterilitas, tamen sæpe lis subest an caussa ad virum an ad feminam sit referenda: Ad illam ergo dirimendam litem, varia & sæpè ridicula proposuit antiquitas artificia e. gr. effundatur utriusque conjugis Vrina super lactucam; cujus ergo pars arescit, in illo sterilitas est. Verum hoc fallax esse, caussamque potius urinæ Sali acriori copiosiorique esse attribuendam, quod Vrinæ cum sterilitate nihil rei, Conf. *Frid. c. 9. Gal. l. d.* facile parabil. injicit Semen hord. in urinam; si dein germinet: fæcundus erit homo; infecundus sin minus; sed meritò hoc rident *Abualtjbutsina l. 3. f. 21. tr. 1. c. 8.* atque *Frid. l. a.* Imo *Senn. l. d.* pleraque hæc fere fabulosa putat: neutiquam vero suffitus, & illa quorum ratio constat: suffitus ergo varios commendat *Hipp. 5. Aphor. 59. & l. 1. de morb. mulier. & libr. de nat. mul.* Meminit quoque *Plato in Theæteto. Conf. Gal. comm. ad Hipp. 1. aph. 59.* atque *Rod. à Castro l. 3. de morb. mul. c. 1.* Quomodo verò agant docet *Senn. l. a.* alia plura quæ vel bibuntur vel subtus vulvæ applicantur proponit *Hipp. l. π. ἀφόρων.* qui videatur *P. Zachias. l. 3. tr. 1. seq.* relictis accidentialibus & adscititiæ sterilitatis notis, quæ magis promptè remedia admittit; naturalis atque desperatæ, quæ omnem earum respicit, sign. hæc recenset & *Hipp. in libr.* ad mulier: pertinentibus: Nempe sterilitatem mulieris adtestantur corporis temperatura frigida, lumbi adstricti. Venter angustus, pili in pube cœterisque locis consuetis nulli aut rari & pauci, nam ut ex *Aristot.* refert *Nancel. l. 3. analog. microc. ad Macroc. c. 7.* steriles non pubescunt, quod tamen non in omnibus sterilibus locum habere dixerim, sed in iis tantum quæ frigidioris sunt naturæ, & in quibus prædicta signa magis conspicua apparent.

Præte-

Præterea connumeranda ſunt menſtrua ſero apparentia, & in pauca quantitate, colore non laudabili, ſed albicantia; hæc omnia enim præſertim, ſi ſimul concurrant, frigidam temperaturam in toto, & in partibus præcipuè generationi dicatis adteſtantur,&c. Conf. plura apud nunquam ſatis laudatum *Zachiam Med.& Ictum celeberrimum l.4.*

CAP. X.

Prognoſin perſcrutatur.

HÆc ratione ſalutis & mortis non magnas movet cogitationes; eſt enim affectus qui ſanitati non violenter obeſt. Ratione exitus vero an curabilis an vero incurabilis ſit diſpiciamus, ſi nativa l. quæ in habitum quaſi jam degeneravit, adſit uteri intemperies, aliave uteri diſpoſitio, vel quicunque morbus incurabilis ſterilitas quoque incurabilis eſt, teſte Senn. prax. l. 4. pr. & quod ad naturalem, illam non curari quoque ſcribſere Hipp. l. π ἀφόρων & Ariſt. 2. G.A. 4. Imo ſoli DEO eam curandam relinqui vult *Avenzoar.2.* Theiſ. tr. 5. c. 1. quod tamen non abſolutè concedit *Mercur.* l. 1. de morb. mul. atque Q. Seren. Sammon. naturam ſæpe potenti medicamine vinci ſcribit. Difficilis verò eſt quæ ab ulcere uteri *Hipp. 2. progn. tr. 3. & l. 2. de morb. mul. tr. 66.* Difficilis, quæ ab incantatione, *Frid. c.10.* Quæ hereditaria l. ex venenatis aliisque gravibus morbis non curatur. *Senn.* ubi plura & *ap. Barth. Turrianum in Iatrobul. f.211.*

CAP. XI.

Curationem Superaddit.

ANte omnia vero divinum in hoc affectu implorandum eſt auxilium exemplo piarum tum in *veteri* tum *Novo fœdere* matronarum. DEVS enim eſt qui clauſas aperire poteſt matrices & exhilarare liberis parentes. Interim non contemnenda ſunt remedia, quæ divina nobis conceſſit benignitas. Si malum ſit

à Plethora, celebratur V.S. teste *Hoef. Herc. med. l.7. c.1. p.304.* Exempla expertus est & annotavit Doctiss. *Heinr. ab Heer obs. 24.* in duabus mulieribus Leodii, quæ quotannis abortirent, ejus consilio ter toto gestationis tempore V.S. sustinuerunt, nempe mense tertio, dein post medium quarti mensis, demum sub finem septimi. *Id. ibid. p. 177.* duas ab humidiore & phlegmatico curavit encolpismo ex succo ♀rialis. Obesas mulieres sale vegetabili destitutas steriles moderato salis condimento fecundas fieri scribit. *Lemnius* & quomodo obesitas corrigatur habet *Senn. l.d. p.298. Mynf. in Armam. Chymic.* laudat suas pilulas contra Obesit. & essentiam, lignor. *Conf. Gal. 14. m.m. 15. comm. ad Hipp.* de diæta Sterilitatem experimento abolet, teste *Mermanno*, vinum medicatum. ℞ lign. Indic. lbß. sarſ. parill. ℥ij. sassafr. rad. chynæ, liquirit. ana ℥ß. Cort. lign. ʒv. turbith ʒiij. rhab. elect. ʒij. fol. sen ℥iß zzber. calam. arom. ana ʒiß. rad. ireos. ℥j herb. veronic. Beton. ana M j. affund. Vini Rhenan. lb x & bibat quotidie lbß vel præmissis purgantibus, balneis, suffitu &c. ℞ ol. Nardin. Moschell. ana ℥iß Cheirin. ʒx. spec. diamb. diamosch. styrac. liquid. ana ʒj. ambr. mosch. Zibeth ana gr. iv. c. pauc. cer. f. linim. quo uteri regio illinatur. ap. *Hoef. Herc. Med. l.7. c. 1. p. 302.* Nim. si adsint Intemperies corrigantur, alterentur, evacuentur; si Gracilitas in caussa, diæta succurrat. Prosunt ad ♀rem excitandam & ad sterilitatem propriè dictam à quacunque fore causa universalibus præmissis. rad. Satyr. ras. ebor. sem. erysimi, erucæ, horm. seseſ. ammi (quod præ reliquis efficax) pastin. sylv. test. vulp. apri & aliorum animalium, matrix suilla l. cervina exsiccata & in pulverem redacta l matrix leporis assata & commesta. *Senn. prax. l.d. p. 295.* qui ibid. plurimas exhibet formulas ut & *Corbej. l.c.* Laudatur decoct. specif. ad juvand. conceptionem Querc. Alii probant Chocoladam de qua vid. *Cl. Franc. Disp. hæmorrhoid. in not. n. 25.* Balnea maximè probant *Senn l. d. & Frideric. it.* Thermæ ut Carolinæ. Apponitanæ &c. Tandem laudabilis diæta omnem amovet lapidem; cui ergo studiosius est invigilandum. In omnibus autem divinum auxilium emineat, cui & nos grates æternas; quod in hac sterilitate nos fecerit adeo fecundos, ut in posterum nobis adstet calidissimis illud sollicitabimus præcibus.

Επίμετρα.

I.

Stupendum est hodienum esse qui circulationem sanguinis non credant atque venerentur, d. adhuc refugium, de cancro mammar. &c. quamvis infelici cum successu quærant.

2. *Egregiè deliravit, qui nuper istos halucinari putavit, qui crederent æstate ventres magis calere, cum nihil æque evidentius rationique magis consonum sit, sed condonandum hoc est cæcis cæcorumque ductoribus.*

3. *Unicum statuere spiritum qui prodiversis organis diversas ederet actiones non est absurdum.*

4. *Spiritus Animales quidem in toto celebro elaborantur, præcipue autem in anfractuosâ cerebri substantia, quia ibi copiosissimæ arteriæ propagantur sufficientem Spirituum vitalium copiam adducentes pro eorum generatione.*

5. *An Pancreas lienis interdum obeat vices dubitandum? Quamvis Cl. D D. Glaserus, Anat. Prof. Basil. c.c. incomparab. olim Patr. ac Præcept. honorat. in nosocom. in dissecta femina melancholica lienem vix fabæ magnitudine repererit: è contra vero pancreas solito majus; in eoque ductum tantum, ut fere annularem admitteret digitum; unde concludebat lienis defectum subplevisse pancreas; Sed quærunt alii an lieni sit officina melancholiæ? immo cum neque sit similitudo substantiæ; vasorum, usus &c. ob hoc iidem easdem vices negant.*

6. *Cor rectè & eleganter sanguinis officina appellatur, Spiritus enim cordi & sanguini insitus Faber; Fermenta cordis, sanguinis aëri inspirati sunt Ministri hujus artificii: Chylus est materia; sanguis est opus, Cor denique est officina omnia hæc in se continens.*

7. *Fermenta & fermentationes in nostro corpore non tam in vivis, d. & mortuis, non tantum oculis, sed & manibus usurpamus, ut taceam nisi omnes, plurimos, tamen morbos præcipuè febres hoc demonstrare, imo ipsa sanitas ea indiget & conservatur.*

8. *Valde ineptus est, qui putavit suffocationem hypochondriacam non posse dari quod in hypochondriis non sit respiratio: cum primo respiratio maxime adjuvetur per abdomen, ubi etiam hypochondria; dein quod magis*

est,

est, discat ex Galeno non omnes morbos nomen sortiri à subjecto d. alios etiam à caussis, ut hunc, alios aliunde immo ipsi ejus homuncionis doctores vocant alias suffocationem uterinam, quasi vero in utero sint respirationis organa.

9. *Pariter absonum est experientiam præstare rationi, cum ratio (non superficiaria, quæ potius opinio, suspicio, sed solida) jam tum sub se experientiam comprehendat & inter alia inde argumentetur, ut taceam hac ratione concludi posse Empiricam præstare Dogmaticæ.*

10. *Nisi adeo cœcus in Antiquitatem (quam venerandam; neutiquam adorandam reputamus) amor esset; meliora haberemus adjumenta circa urinæ separationem, generationem lactis, ipsiusque generationis rationem.*

11. *Pulsus quos innumeros fecere, rectè ad sex referuntur.*

12. *Caro viperarum, nobilia præbet medicamenta.*

13. *Chirurgia habet nobilißima medicamenta quia efficacissima.*

14. *Laudanum opiatum, modo non peccetur in præparatione & dosi, est excellentißimum remedium, ut inde Sylvius recte dixerit, se nolle medicum esse, quam hoc carere; præcipue autem in omnibus fere fluxionibus atque doloribus.*

15. *Qui generales medicamentorum probè novit vires, ille optima habet arcana & specifica quibusvis præstantiora.*

16. *Nihil magis sanitatem impedit, quam nimis frequens & ob hoc intempestiva & fere in omnibus morbis purgatio atque V.S. quibus medius tamen nihil frequentius est hodie quamplurimis.*

17. *Generosiora diaphoreticis non dari medicamenta, effectus docet.*

18 *Antimoniata sunt bona remedia modo ritè præparentur & exhibeantur: ut ergo dicteria istorum sint invalida, qui absolutè eadem damnant, cum abusus usum non tollat.*

19. *Contra experientiam contraque rationem loquuntur, qui hepar pro subjecto l. causa luis Ꝟreæ agnoscunt.*

20. *Tumor ad tactum renitens, qui percipitur in hypochondrio sinistro aut quando insignis istius hypochondrii concurrit intumescentia male pro augurio affecti lienis habetur; lieni enim, cum in profundo situs est, nullo modo hoc contingere potest.*